

CIRCA ANNUM DOMINI MCX

GILBERTUS EPISCOPUS IN HIBERNIA LUNICENSIS

NOTITIA HISTORICA

(FABRIC. Bibliotheca mediae et infimae Latinit., III, 57)

Giberius, episcopus in Hibernia Lunicensis [al. Lumnicensis] hodie *Limericensis* circa annum 1110, superstes adhuc anno 1159, scripsit libellum *De statu Ecclesiae*, editum ab Ussorio in Epistolis Hibernicis p. 78, et Gilberto Crispino perperam tributum a Pitseo p. 496. Præmisit Usserius ejusdem Gilberti epistolam ad episcopos et presbyteros Hiberniæ p. 77, sub juncta 88 altera brevi ad Anselmum Cantuariensem.

GILBERTI LUNICENSIS

AD EPISCOPOS HIBERNÆ DE USU ECCLESIASTICO

(USSERIUS, *Epist. Hibern.*, p. 77.)

Episcopis [et] presbyteris totius Hiberniæ, infimus præsumptivo presulum GILLE Lunicensis in Christo salutem.

Rogatu, nec non et præcepto multorum ex vobis, charissimi, canonicalem consuetudinem in discendis horis et peragendo totius ecclesiasticis ordinis officio scribere conatus sum, non præsumptivo, sed vestiæ cupiens parere piissimæ jussioni, ut diversi et schismati illi ordines, quibus Hibernia pene tota delusa est, uni catholico et Romano cedant Officio. Quid enim magis indecens aut schismaticum dici poterit. quam doctissimum unitus ordinis in alterius Ecclesias idiotam et laicum fieri? Quicunque ergo catholicæ membrum se profitetur Ecclesiae, sicut una fide, spe, charitate, in corpore jungitur, ita Deum ore et ordine cum cæteris membris laudare jubetur. Unde Apostolus: *Ut unanimes uno ore honorificetis Deum* (*Rom. xv, 6*). Sicut igitur linguarum per superbiam

A facta dispersio, ad unitatem in apostolica humilitate ducta est, sic ordinum per negligentiam et præsumptionem exorta confusio, ad consecratam Romanæ Ecclesiae regulam per vestrum studium et humilitatem ducenda est. Quantum ergo debeat merum unitas servari a fidibus, quamvis ex multis locis sacrae Scripturæ manifestum sit, præsens tamen Ecclesiae depicta imago oculis subjecta patenter ostendit. Namque omnia Ecclesiae membra uni episcopo videlicet Christo, ejusque vicario beato Petre apostolo, atque in ejus sede præsidenti apostolico, subjici et ab eis manifestat gubernari. Haec tandem præmia pro tantulo opere a vobis omnibus expostalo; ut, sicut hic Deum uno corde et ore laudare debemus, sic ei, vestris precibus adjutus, una vobiscum psallere in cœlestibus valere meear. Amen (1).

(1) Subjiciebatur in mss. quibus hic usi sumus exemplaribus, *Ecclesiæ depicta imago* (cujus in superiori prologo facta est mentio, et in proximo libello sequitur explicatio), hac circumdata περιγραφῇ. *Αἰα* figuram mundi habuit; fuit enim tricamerata. *In superiori parte erant aves, tanquam angeli in cælo. In*

medio erant homines (scilicet Noe, et familia ejus) tanquam in hoc mundo. In imo animalia et reptilia, tanquam animæ in inferno. Verum, ob chalcographorum typorum defectum, schema illud coacti sumus hic omittere.